

HYMNI ANTIQUI

HYMNI BREVIARII ROMANI AD LAUDES ET HORAS DIEI

EX ANTIPHONALE ROMANO
ROMÆ MCMXII

PROPRIUM DE TEMPORE

IN ADVENTU AD VESPERAS

Conditor alme siderum,
æterna lux credentium,
Christe Redemptor omnium,
exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu
mortis perire sæculum,
salvasti mundum languidum,
donans reis remedium:

Vergente mundi vespere,
uti sponsus de thalamo,
egressus honestissima
Virginis matris clausula:

Cuius forti potentie
genu curvantur omnia,
caelestia, terrestria,
nutu fatentur sebdita.

Te deprecamur agie,
venture iudex sæculi,
conserva nos in tempore
hostis a telo perfidi.

Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri, et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

AD LAUDES

Vox clara ecce intonat,
obscura quæque increpat:
pellantur éminus sómnia,
ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resurgat tórpida,
quæ sorde exstat saucia:
sidus refulget iam novum,
ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus mittitur
laxare gratis debitum
omnes pro indulgentia
vocem demus cum lacrimis.

Secundo ut cum fulserit,
mundumque horror cinxerit,
non pro reatu puniat,
sed nos pius tunc protegat.

Hymni antiqui – Proprium de Tempore (2)

Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri, et Filio,
Sancto simul Paraclito,
in sæculorum sæcula. Amen.

Glória tibi Dómine,
qui natus es de Virgine,
cum Patre, et Sancto Spirítu,
in sempiterna sæcula. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI AD VESPERAS

Christe, Redemptor om-
nium,
ex Patre Patris únice,
solus ante princípium
natus ineffabiliter.

Tu lumen, tu splendor Patris,
tu spes perennis omnium:
intende quas fundunt preces
tui per orbem famuli.

Meménto salutis Auctor,
quod nostri quondam cór-
poris,
ex illibata Virgine
nascendo, formam sumpseris.

Sic præsens testatur dies,
currens per anni circulum,
quod solus a sede Patris
mundi salus adveneris.

Hunc cælum, terra, hunc
mare,
hunc omne quod in eis est,
Auctorem adventus tui,
laudans exsultat cántico.

Nos quoque, qui sancto tuo
redempti sanguine sumus,
ob diem natalis tui,
hymnum novum concinimus.

AD LAUDES

Asolis ortus cardine
ad usque terræ limitem,
Christum canamus Princi-
pem,
natum Mariá Virgine.

Beátus Auctor sæculi
servile corpus induit:
ut carne carnem liberans,
ne perderet quos condidit.

Castæ Paréntis viscera
caelestis intrat grátia:
venter puellæ báiuulat
secreta quæ non nóverat.

Domus pudici pectoris
templum repente fit Dei:
intácta nésciens virum,
verbo concepit Filium.

Eníxa est Puérpera,
quem Gábríel prædixerat,
quem matris alvo géstiens,
clausus Ioánnes senserat.

Fæno iacere pertulit,
præsepe non abhorrui:
parvoque lacte pastus est,
per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus caelestium,
et Angeli canunt Deo:
palámque fit pastóribus
Pastor, Créator omnium.

Glória tibi Dómine,
qui apparuisti hódie,
cum Patre et Sancto Spírítu,
in sempitérna sæcula. Amen.

Die 29 Septembris

IN DEDICATIONE
S. MICHAELIS
ARCHANGELI

AD VESPERAS
ET AD MATUTINUM

Tibi Christe splendor
Patris,
vita, virtus córdium,
in conspéctu Angelórum,
votis, voce psállimus:
alternántes concrepándo
melos damus vócbus.

Collaudámus venerántes
omnes cæli mílites,
sed præcípuè Primátem
cæléstis exércitus:
Michaélem in virtúte
conteréntem zábulum.

Quo custóde procul pelle,
Rex Christe piíssime,
omne nefas inimíci:
mundo corde et córpore,
Paradíso redde tuo
nos sola cleméntia.

Glóriam Patri melódis
personémus vócbus,
glóriam Christo canámus,
glóriam Paráclito,
qui trinus et unus Deus
exstat ante sæcula. Amen.

AD LAUDES

Christe, sanctórum de-
cus Angelórum,
rector humáni géneris et
auctor:
nobis ætérum tríbue be-
nígnum
scándere cælum.

Angelum pacis Michael ad
istam
cœlitus mitti rogitámus
aulam,
nobis ut crebro veniénte
crescant
próspera cuncta.

Angelus fortis Gábriel, ut
hostem
pellat antiquum, vólitet ab
alto,
sæpius templum véniens
ad istud
visere nostrum.

Angelum nobis médicum
salútis
mitte de cælis Ráphael, ut
omnes
sanet ægrótos, paritérque
nostros
dírigat actus.

Hinc Dei nostri Genetrix
María,
totus et nobis chorus An-
gelórum
semper assistat, simul et
beáta
cóncio tota.

Præstet hoc nobis Déitas
beáta
Patris, ac Nati, paritérque
Sancti
Spírítus, cuius réboat in
omni
glória mundo. Amen.

Die 2 Octobris

IN FESTO
SS. ANGELORUM
CUSTODUM

AD LAUDES

Orbis patrátor óptime,
qui quidquid est po-
téntia
magna creásti, nec regis
minóre providéntia:
Adésto supplicántium
tibi reórum cóctui,
lucisque sub crepúsculum
lucem novam da méntibus.
Tuúsque nobis Angelus
signátus ad custódiám,
hic adsit, a contágio
qui críminum nos prótegat.

Serpéntis nobis æmuli
calúmnia extérminet,
ne rete frauduléntiæ
incáuta nectat pectora.

Metum propéllat hóstium
nostris procul de finibus:
pacem procúret civium,
fugétque pestiléntiam.

Deo Patri sit glória,
qui, quos redémít Filius:
et Sanctus unxit Spírítus,
per Angelos custódiat.
Amen.

Die 1 Novembris

IN FESTO
OMNIUN SANCTORUM

AD VESPERAS

Christe Redémptor óm-
nium,
consérva tuos fámulos,
beátæ semper Víriginis
Placátus sanctis précibus.

Beáta quoque ágmina
cæléstium Spírítuum,
prætérita, præsentia,
futúra mala péllite.

Vates æténi Iúdicis,
apostolique Dómini,
suppliciter expóscimus
salvári vestris précibus.

Mártyres Dei íncliti,
confessorésque lúcidí,
vestris oratiónebus
nos ferte in coeléstibus.

Chorus sanctárum Víriginum,
monachórumque ómnium,
simul cum Sanctis ómnibus,
consórtes Christi fácite.

Gentem auferte pérfidam
credéntium de finibus,
ut Christo laudes débitas
persolvámus aláriter.

(22) **Hymni antiqui - Proprium Sanctorum**

Glória Patri ingénito,
eiúsque Unigénito,
una cum Sancto Spírítu,
in sempitérna saécula.

Amen.

AD LAUDES

Iesu Salvátor saéculi,
redémp̄tis ope súbveni:
Et pia Dei Génētrix,
salútem posce míseris.

Cœtus omnes angélici,
Patriarchárum cūnei,
et Prophetárum mérita
nobis precéntur véniam.

Baptísta Christi prævius,
et Cláviger æthéreus,
cum céteris Apóstolis,
nos solvant nexu criminis.

Chorus sacrátus Mártyrum,
conféssio Sacerdótum,
et virginális cástitas
nos a peccátis ábluant.

Monachórum suffrágia,
omnésque cives cælici
ánnuant votis súpplicum,
et vitæ poscant præmium.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
in saeculórum saécula. Amen.



COMMUNE SANCTORUM

**APOSTOLORUM ET
EVANGELISTARUM**
extra Tempus Paschale

**AD VESPERAS
ET AD LAUDES**

Exsúltet cælum láudibus,
résúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
sacra canunt solémnia.

Vos saec̄li iusti iúdicēs,
et vera mundi lúmina:
votis precámur córdium,
audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis
serásque eius sólvitis,
nos a peccátis ómnibus
sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
salus et languor ómnium,
sanáte ægros móribus,
nos reddétes virtútibus:

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine saéculi,
nos sempitérni gáudii
fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Fílio,
cum Spírítu Paráclito,
et nunc et in perpétuum.
Amen.

Tempore Paschali

**AD VESPERAS
ET AD MATUTINUM**

Tristes erant Apóstoli
de nece sui Dómini,
quem pœna mortis crudéli
servi damnárant ímpii.

Sermóne blando Angelus
prædixit muliéribus:
In Galilæa Dóminus
videndus est quantócius.



© www.breviariumromanum.com

(31) In Officio parvo B. Mariæ Virginis

IN FESTIS
B. MARIÆ VIRGINIS
PER ANNUM, ET
IN OFFICIO EIUSDEM
IN SABBATO

AD LAUDES

O gloriôsa Dômina
excelsa super sidera:
qui te creavit, prôvide
lactâsti sacro ũbere.

Quod Heva tristis abstulit,
tu reddis almo gérmine:
intrent ut astra flébiles,
cæli fenêstra facta es.

Tu Regis alti iánua,
et porta lucis fûlgida:
vitam datam per Virginem,
gentes redemptæ, plaudite.

Glória tibi Dômine,
qui natus es de Virgine,
cum Patre et Sancto Spiritu,
in sempiterna sæcula. Amen.

IN OFFICIO
PARVO BEATÆ
MARIÆ VIRGINIS

AD LAUDES

Ad Laudes, Hymnus ut supra O
gloriôsa.

Ad Completorium et Horas

Memento, salutis Auctor,
quod nostri quon-
dam cõporis,
ex illibâta Virgine
nascendo, formam sump-
seris.

Maria, Mater grátia,
Mater misericórdia,
tu nos ab hoste prótege,
et hora mortis súscipe.

Glória tibi Dômine,
qui natus es de Virgine,
cum Patre et Sancto Spiritu,
in sempiterna sæcula.
Amen.

INDEX HYMNORUM

Ad cœnam Agni	(6)	Iesu, Redemptor omnium,	(27)
Æterna cœli gloria	(12)	perpes	(27)
Æterne Patris Unice	(19)	Iesu Salvator sæculi	(22)
Æterne rerum Conditor	(9)	Lucis Creator optime	(13)
Ales diei nuntius	(10)	Lustris sex qui iam	(5)
Amor Iesu dulcissime	(19)	Lux ecce surgit aurea	(11)
Angularis fundamentum	(30)	Magnæ Deus potentia	(15)
A solis ortus cardine	(2)	Martyr Dei, qui unicum	(25)
Audi, benigne Conditor	(4)	Matris Dei, qui unicum	(3)
Aurea luce et decore	(18)	Memento, salutis Auctor	(31)
Aurora iam spargit	(12)	Nox et tenebræ et nubila	(11)
Aurora lucis rutilat	(7)	O gloriosa Dominum	(31)
Beata nobis gaudia	(8)	O lux beata Trinitas	(16)
Cæli Deus sanctissime	(14)	O nimis felix	(18)
Christe Redemptor omnium	(2)	Orbis patrator optime	(21)
Christe sanctorum	(20)	Plasmator hominis Deus	(15)
Claro paschali gaudio	(24)	Quodcumque vincis	(17)
Conditor alme siderum	(1)	Rex gloriose Martyrum	(27)
Creator alme siderum	(24)	Rector potens verax Deus	(13)
Deus, tuorum militum	(24)	Rerum Deus tenax vigor	(13)
Ecce iam noctis	(10)	Salvete flores Martyrum	(3)
En, clara vox redarguit	(4)	Sanctorum meritis inclita	(26)
Exsultet cœlum laudibus	(23)	Splendor Paternæ gloriæ	(10)
Fortem virili pectore	(29)	Te lucis ante terminum	(16)
Hostis Herodes impie	(3)	Telluris ingens Conditor	(14)
Iam bone Pastor Petre	(19)	Tibi Christe splendor	(20)
Iam Christe sol iustitiæ	(4)	Tristes erant Apostoli	(23)
Iam lucis orto sidere	(12)	Tu Trinitas Unitas	(8)
Immense cœli Conditor	(14)	Urbs beata Ierusalem	(30)
Iste Confessor Domini	(27)	Veni, Creator Spiritus	(7)
Iesu, corona celsior	(28)	Vexilla Regis prodeunt	(4)
Iesu, corona Virginum	(29)	Vox clara ecce intonat	(1)
Iesu nostra redemptio	(7)		

HYMNI ANTIQUI - HYMNI BREVIARII ROMANI

AD LAUDES ET HORAS DIEI
EX ANTIPHONALE ROMANO (ROMÆ MCMXII)

Bonn / Denkendorf, verlag nova & vetera 2008

ISBN: 978-3-936741-81-0

Alle Rechte vorbehalten. – All rights reserved.

www.novaetvetera.de